



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa

Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs

Vindalium, 1646

Sect. V. De cœteris contractibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38850

quia si esset pecunia ipsius Campforis, Cambium esset fictitium: cum nemo vere dicatur vnam pecuniã mutare cum alia, si vtraque sit sua. 3. Ut seriò ac bona fide agatur, non autem animo tegeadi mutuum.

 SECTIO V.

De cæteris contractibus.

CONCLUSIO I.

Contractus onerosi quibus usus, vel ususfructus transfertur, sunt locatio & conductio, Emphyteusis, & feudum.) In primis locatio & conductio sunt vnus & idem contractus, quo res, vel persona aliqua ad usum, vel fructum pro pretio alteri conceditur; & ab eodem accipitur. Ex parte enim dantis dicitur locatio, ex parte verò accipientis conductio. Vnde accipiens pretium dicitur locator, tribuens autem conductor.

Notandum autem 1. quasdam esse obligationes locatoris, quarum 1. est, vt teneatur manifestare conductori vitia rei locatz. Quare si id negligat, tenebitur

DE IVSTITIA. CAP. IV. 89
tur de damno inde sequuto. 2. Ut resar-
ciat expensas necessarias, quas in re loca-
ta fecit conductor, nisi aliter inter ipsos
conuentum sit. 3. Ut teneatur ad onera,
& tributa imposita pro re locata, licet
non ad ea quæ imponuntur, pro fructibus
illius. 4. Ut non possit, ante finitum lo-
cationis tempus, rem locatam repetere;
nisi conductor, eâ abutatur, vel non soluat
pretium locationis, &c.

Notandum 2. totidem esse obligatio-
nes conductoris, quarum 1. est, vt condu-
ctor non possit vti re conducta, nisi ad
eum vsum, ad quem ipsi concessa est. 2.
Ut non possit per se loquendo, rem con-
ductam dimittere, nisi in termino loca-
tionis, vel ante talem terminum, ex con-
sensu locatoris. 3. Ut teneatur eandem
numero, & integram restituere. 4. Ut
tempore constituto pretium locationis
soluere debeat. Nisi fortè aliquando, quia
fructus percipere non potuit, ob impe-
dimentum sine ipsius culpa superueniens,
ab ea obligatione, vel ex toto, vel ex
parte sit liber; qua in re attendenda est
maximè consuetudo.

Notandum 3. etsi nonnulli existiment,
quando quis pluribus obligat operam
suam, singulis, in solidum, eaque adeò
commoda est singulis, ac si pro iis solis.

fuiſſet exhibita, eum poſſe tantum à ſingulis exigere, quantum ab vno poſſet, ſi pro eo ſolo operam ſuam impendiſſet. Oppoſitum tamen videri longè probabilius, quia cum operarius debeat vni operam ſuam ex iuſtitia, non poteſt eam alteri nouo pretio vendere. Vnde collige, nuncium à Petro ſpecialiter, integro ſtipendio conductum vt epistoſas Romam deferat, non poſſe à Paulo aliud ſtipendium accipere, vt illius cauſa idem iter aggrediatur.

Notandum 4. ſoluendum eſſe iuſtum ſtipendium famulis, modò debitam operam præſtiterint; illud autem iuſtum dici ſtipendium quod habita ratione obſequiorum, temporis, aliarumque circumſtantiarum, tale à viris prudentibus æſtimatur; aut pro quo famuli communiter ſuas operas locare ſolent. Quò fit vt. cum non teneantur domini ex iuſtitia, dare aliquid famulis, ſupra pretium de quo inter ipſos conuentum eſt; nefas etiam ſit famulis, occulta vti compensatione, ſurripiendo aliquid de bonis domini; eſto ſtipendium ipſis non videatur labori, & obſequiis præſtitis adæquatum. Iam enim nullus iis ſuppedit titulus, quo talem compensationem licitè facere poſſint.

Quod attinet ad Emphyteuſim, ea de-

DE IVSTITIA. CAP. IV. 91
finiri solet, Contractus quo quis tradit
rem suam immobilem, cum translatio-
ne dominijs utilis, retento directo, sub
certa pensione proprietario soluenda, id-
que vel in perpetuum, vel ad unius aut plu-
rium vitam, vel ad certum tempus, quod
decennio non sit minus. Ex quo patet,
Emphyteusim distingui 1. à contractibus
gratuitis, quia hic imponitur onus. 2. à
venditione, quia in ea transfertur domi-
nium. 3. à locatione, tum quia in hac
non transfertur dominium utile in con-
ductorem, tum quia locatio est etiam re-
rum mobilium, idque tantum ad tempus
decennio breuius.

Porro variae sunt conditiones huius
contractus, ex iure communi, praeter eas
quae ex iam dictis colligi possunt 1. Ut
Emphyteuta quotannis teneatur soluere
pensionem, siue in pecunia, siue in fructi-
bus, iuxta conventionem factam. 2. Ut
amittat rem Emphyteuticam, si pensio-
nem non soluerit per duos annos, si res sit
Ecclesiastica, nisi sibi consulat celeri sa-
tisfactione; vel per tres, si sit secularis.
3. Ut non teneatur soluere pensionem,
quando res perit sine culpa illius. Quod
ita intelligendum, ut res tota pereat,
nullam pensionem debeat; si verò tantum
ex parte pereat, non debeat totam pen-

tionem, nisi ea valde sit modica. 4. Ut rem traditam in Emphyteusim amittat, si eam notabiliter deteriore reddat. 5. Ut non possit vendere ius Emphyteuticum, nisi proprietario prius monito, ut ipse emat, si velit; & alioqui si ante tradat, cadat in commissum. 6. Ut quoties res venditur, aut donatione, vel permutatione alienatur accipiens pro inuestitura soluat laudemium domino directo, id est, quinquagesimam partem pretij, ex iure communi, trigessimam autem, ex consuetudine.

Tandem Feudum propriè sumptum definiiri potest, Contractus quo, retento dominio directo, datur alteri res immobilis, quoad dominium utile; sub cœne exhibendi fidelitatem, & obsequium aliquod personale. Ex quo patet, Feudum in eo distingui ab Emphyteusi, quia in hac soluitur pensio realis, in illo verò seruitium personale. Cæterùm qui dat in feudum, dicitur Infeodator, seu dominus feudi; qui verò accipit, dicitur Feodatarus, seu Vassallus.

Vbi duo sunt obseruanda, Primò, Feudum variis modis diuidi. 1. in proprium, & improprium. 2. in nouum, & vetus. 3. in nobile idque aut regale, aut non regale, & ignobile. 4. in ligium, & non li-

DE IVSTITIA. CAP. IV. 93

gium quorum priori iuratur fidelitas, contra omnem hominem, posteriori vero non nisi cum exceptione prioris domini; ut si quis Duci iuret fidelitatem, exceptis iis, quæ ad Regem pertinent. 5. in hæreditarium, & non hæreditarium. 6. in francum, seu liberum à seruitiis personalibus, quod non nisi improprie feudum est, ut ex dictis colligitur, & non francum, seu non liberum.

Observandum 2. varias esse feudi conditiones, præter eas quæ ex illius definitione sumi possunt. 1. est, ut vassallus non teneatur seruitium personale exhibere domino nisi interpellatus. 2. Ut amittat feudum, si requisitus obsequium debitum denegauerit. 3. Ut amittat etiã, si illud sine consensu domini alienauerit. 4. Ut debeat à domino inuestiri, eique tunc iuxta formam consuetam fidelitatem iurare. Verùm in his, aliisque ad feudum spectantibus, variæ consuetudines locorum attendi debent, de quibus Iuristæ videri possunt.

CONCLUSIO II. Contractus societatis licite celebrari Potest.) Declaratur, nam contractus iste nihil est aliud quàm, Conuentio duorum, aut pluri-um facta, ut conferatur aliquid ad lucrandum idoneum, (ut sunt pecunia, indu-

stria, opera) in usum, aut quæstum communem, Quod autem eiusmodi contractus sit ex se licitus, patet, quia potest quilibet licitè lucrari ex re sua, ad lucrandum idonea; ergo & plures ex huiusmodi rebus inter se coniunctis, licitè lucrari poterunt. Sequela patet: nulla enim ratio est, cur quod licitum est singulis seorsim, non liceat pluribus coniunctim.

Vt tamen hæc societas iustè ineatur, tria ex communi sententia requiruntur. 1. Ut genus negotiationis sit iustum & licitum; siquidem nemo potest obligari ad opus illicitum. 2. Ut lucrum inter socios iustè diuidatur, habita ratione sortis à singulis collatæ; ita ut plus lucri referat, qui plus contulit pecuniæ, vel industriæ; minus verò, qui minus: sic enim seruetur iustitiæ æqualitas, cum unicuique reddatur quod ei debetur. 3. Ut etiam damnum si quod commune est omnibus sortibus sociorum, æqualiter inter illos diuidatur. Quanquam secluso speciali pacto, iactura ad eum solum pertineat, cuius sorti specialiter constat damnum accidisse. Ut autem istæ conditiones melius intelligantur.

Quæro 1. an quando vnus apponit totam pecuniã, & alius solam industriã, diuisio inter socios facienda sit, non mo-

DE IUSTITIA. CAP. IV. 95
do lucri, sed etiam pecuniæ in societatem
collatæ, secundum æstimationem opera-
rum: ita ut negotiis peractis, ex tota
summa quæ ex lucro & sorte cõflata erit,
tantum socius extrahere debeat, quantum
si loco operarum, pecuniam æquivalen-
tem contulisset. Nonnulli recentiores af-
firmant, quia alioqui conferens operam,
longè deterioris esset conditionis, quàm
qui pecunias contulerunt: hi enim post
finitum contractum, præter participatio-
nem lucri, suas sortes integras habent;
locatori verò operæ, hoc ipso quòd ope-
ræ transferunt, nihil de sorte quam con-
tulit, reliquum maneret. Vnde conclu-
dunt, si tu conferas mille aureos, socius
autem operas centum aureis æstimas, &
lucrum sit 500. aureorum socium debere
extrahere vñdecimam partem, ex mille
& quingentis aureis, id est 136. aureos,
& vnã tertiam; reliquas verò decem
partes tibi deberi. Et consequenter aiunt,
si opera vnus tanti valet, quanti fors al-
terius, ei deberi dimidium totius sum-
mæ: si autem erat æqualis tertix, quartæ,
quintæ, vel sextæ parti pecuniæ, ei de-
beri tertiam, quartam, quintam, vel sex-
tam partem totius summæ, quæ reperie-
tur finitis negotiis.

Alij tamen magis communiter docent,

capitale si saluum est, integrum reddendum esse ei qui illud posuit; deinde verò lucrum diuidendum, iuxta æstimationem operarum, arbitrio boni viri, vel ex consuetudine loci. Rationem afferunt, quia æquum non videtur, vt ille qui solas operas contulit, recipiat aliquid loco capitalis, cum nihil ad capitale addiderit; opera enim non est sors, sed fructus personæ respondens fructui, & commoditati pecuniæ, quam alter contulit pro capitali; satis ergo est, quòd de lucro participet, iuxta æstimationem laboris. Et sanè aliàs, si Petrus centum nummos pro sorte posuisset, & Pauli industria esset eiusdem valoris, lucrum verò esset ducentorum aureorum, sequeretur quòd tunc ex summa lucrata deberentur Paulo 150. aurei, Petrò verò tantùm 50. quod valde durum videtur. Quare dicunt, diuisionem in eo casu ita faciendam esse, vt primum reddantur Petro centum nummi, quos apposuit; deinde verò ducenti nummi ex lucro restantes, æqualiter inter vtrumque diuidantur, ita vt singuli centum nummos accipiant. Sic enim seruetur æqualitas inter socios, cum reddatur alteri, quod per pecuniam, alteri, quod per industriam comparauit: Neque dici potest, quod operas conferens eas amittat,

amittat, cum ex iis tantum lucri referat, quantum cedit ei, qui pecunias contulit.

Verum inter duas illas sententias veluti extremas, quarum alia docet absolute diuisionem faciendam esse ex tota summa, constante ex sorte, & lucro; alia absolute id negat: cogitari potest quædam media, & tertia sententia, quæ probabilius statuatur, diuisionem interdum priori modo, interdum posteriori faciendam esse. Nonnunquam enim contingere potest, operas collatas, iudicio viri prudentis absolute æquialere, pecuniæ in sortem traditæ; si nimirum negotiator tanta industria polleat, ut verbi causa, ceterum nummis quadringentos, vel quingentos lucretur. Et tunc iustus erit contractus, si socij pactum ineant, ut in fine negotiationis, tota summa ex sorte, & lucro constans, æqualiter inter eos diuidatur. Aliàs verò & frequentius euenit, ut opera collata non æquialeat absolute summæ traditæ, sed tantum respectiue, seu in ordine ad lucrum; ut dum, verbi causa, mercator ducentis nummis centum lucratur. In eo autem casu iusta erit societas, si detracto capitali, solum lucrum inter socios diuidatur.

Quæro 2. an cum contractu societatis, possint coniungi duo alij contractus, quod
de Iust. E

rum altero lucrum aliquod certum, altero ipsum capitale esse curetur; ita quidem ut utraque illa assecuratio iustè compensari queat, aliqua parte totius lucri, quod probabiliter ex societate speratur. Respondeo 1. licitè celebrari posse cum altero socio contractum priorem, adeò ut Petrus, verbi causa, centum nummos in societatem exponens, ex quibus probabiliter sperat, se pro lucro decem recepturum, possit Paulo promittere vnam partem talis lucri, ex hypothesi quòd velit illi assecurare alteram. In hoc enim, spectata rei natura, nulla apparet iniustitia; cum periculum sortis apud Petrum maneat, & onus Paulo impositum ad aequalitatem compensetur.


Respondeo 2. etiam licitum esse, alium celebrare contractum pro assecuratione capitalis, adeò ut pro grauamine quod subit Paulus, in gratiam Petri, assecurandi centum nummos, possit Petrus ei dare aliquam partem lucri sperati. Vnde si ex decem nummis speratis, Petrus detres Paulo, pro assecuratione capitalis, & duos pro assecuratione alicuius certi lucri, poterit Petrus quotannis recipere aureos quinque pro centum, donec societas finiatur. Horum autem ratio est, quia ex vna parte, contractus societatis

DE IUSTITIA. CAP. IV. 99
cum lucro, secundum se licitus est, ex
supradictis; ex alia verò, reliqui duo
contractus affecurationis secundum se
sunt liciti; cum inter onus impositum, &
compensationem factam æqualitas con-
stituatur, idque ex mutuo sociorum cõ-
sensu. Cur ergo tres isti contractus inter
se coniuncti, illiciti erunt?

Dices, quia ex quo Paulus subit pe-
riculum capitalis, iam is est dominus il-
lius, adeoque contractus iste non est pro-
priè societas, sed verum mutuum: vnde
tamen Petrus lucrum accipit, quod illi-
citurum est. Respondeo, hoc non esse si-
gnum sufficiens translationis dominij; ut
vel ex eo patet, quòd in contractu loca-
tionis, non transfertur dominium in cõ-
ductorem, etsi ille rei conductæ pericu-
lum interdum subeat. Accedit, quòd Pau-
lus non potest vti ad arbitrium, pecunia
à Petro accepta, sed debet eam, iuxta il-
lius voluntatem, negotiationi exponere.
Quod indicio est, dominium talis pecu-
niæ apud Petrum manere, adeoque eum
licitè ex ea, tanquam ex re sua negotia-
tioni exposita, lucrum aliquod perci-
pere.

Quæro 3. quomodo prædicti tres con-
tractus iniuri debeant, ut aliquis certum
lucrum, accipiat, supra sortem. Respon-

deo ex communi sententia, non opus esse ut contractus illi explicitè ineantur, sed satis esse quòd fiant virtualiter, seu intentione implicita. Vnde excusantur, qui hoc modo societatem cum mercatore incunt: confero centum in societatem, ut saluo capitali, solvas quinque modo licito: quia scilicet intentio implicita idem operatur quod expressa, ut aiunt Iuristæ.



CAPVT V.

De obligationibus iustitiæ, quoad restitutionem in genere.

SECTIO I.

Quid sit restitutio.

CONCLUSIO VNICA.

Restitutio est actus Iustitiæ commutatiuæ, isque ad salutem necessarius.) Antequam hoc proberetur, Notandum est, nomen restitutionis sumi dupliciter. I. latè pro omni actu quo redditur